

scriptum est: Sepi aures tuas spinis, et noli audire linguam nequam. Et iterum: Corrumptunt ingenia bona confabulationes pessimae. Docet Dominus et admonet a talibus recedendum. Caeci sunt, inquit, duces caecorum. Caecus autem caecum ducens, simul in foveam cadunt. Aversandus est talis atque fugiendus, quisquis fuerit ab ecclesia separatus. Perversus est hujusmodi et peccat, et est a semet ipso damnatus. An esse sibi cum Christo videtur, qui adversus sacerdotes Christi facit? qui se a cleri ejus et plebis societate secernit? Arma ille contra ecclesiam portat, contra Dei dispositionem repugnat: hostis altaris, adversus sacrificium Christi rebellis, pro fide perfidus, pro religione sacrilegus inobsequens servus, filius impius, frater inimicus, contemptis episcopis et Dei sacerdotibus derelictis, constituere audet aliud altare, precem alteram illicitis vocibus facere, Dominiae hostiae veritatem per falsa sacrificia prophanare; nec dignatur scire, quoniam, qui contra ordinationem Dei nititur, ob temeritatis audaciam Divina animadversione punitur.

XIV. Sic Choré et Dathan et Abiron, qui sibi contra Moysen et Aaron sacerdotem sacrificandi licentiam vindicare conati sunt, poenas statim pro suis conatibus pependerunt. Terra compagibus ruptis in profundum sinum patuit, stantes atque viventes recendentis soli hiatus absorbuit. Nec tantum eos, qui auctores fuerant Dei indignantis ira percussit, sed et caeteros ducentos quinquaginta participes ejusdem furoris et comites, qui coagulati cum iisdem simul ad audaciam fuerant, exiens a Domino ignis, properata ultione consumpsit, admonens scilicet et ostendens contra Deum fieri, quidquid impobi fuerint ad destruendam ordinationem Dei humana voluntate conati. Sic et Osias rex, cum thuribulum ferens et contra legem Dei sacrificium sibi violenter assumens, resistente sibi Azaria sacerdote, obtemperare nollet et cedere, divina indignatione confusus, et lepra varietate in fronte maculatus est; ea parte corporis notatus offenso Domino, ubi signantur,